



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput IX. Duodecim fontes, è quibus colloquia utilia derivari possint,
inventi à Martino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

nu instructus; Patri Dominico Valesio, viro ad Zelum spirituali, & hujusmodi colloquiorum incentori, socium adjunxit, ac deinde per vitam observavit ut aliqua è sequentibus materijs in medium prodiret.

C A P U T IX.

Duodecim fontes, è quibus Colloquia Utilia derivari possint, inventi à R. P. M A R T I N O.

IN sensu sit tibi cogitatus D E I, & Ecclesi. 9. 23. omnis enarratio tua in præceptis Altissimi. Sic instruebat Ecclesiasticus quamvis animam, ut non aliter sensum quemvis moveret, illòque uteretur, nisi secundùm Regulam hanc, ut cogitatus D E I motum omnem gubernet. linguam verò, præ sensibus alijs lubricam, ità coërceat ac constringat, ut vel non nisi de D E O loquatur, vel ità cautè ac parcè, ut præceptum Altissimi ad loquendum expectare videatur.

Ità sentire, sensibúsque uti, ità loqui Martinus noster decrevit. quod ut faciliùs assequeretur, duodecim sibi Regulas, velut fontes adinvenit, è quibus in præceptis Altissimi enarratio

scaturiret. Materiam loquendi vocavit hisce nominibus: Comportata, Quodlibetica, Venatoria, Discretiva, Curialis, Polemica, Ritualis, Paradoxa, Medica, Mendica, Laureata, Funesta.

Comportatam vocabat, collatas symbolas, super lecta, visa, vel audita quacunque demum materia, quæ speciale quidpiam afferret. Inter ternarium aut denarium colloquentium numerum, quantam putas congeriem jucundæ, spiritualis & eruditæ recreationis pullulare? Si quis huic vel illi virtuti annexa, si privata (in exemplum ac paradigma sermonis) duo vel tria in medium beneficia, quæ sibi DEUS contulit, enumeret; si fortuitos casus ac pericula; si, quæ modestia patitur, dona in medium proferat, quanta eruditio, quantus ex *Comportatis* gustus!

Quodlibetica relaxatio, dubiarum quæstionum resolutione consumenda judicabatur. Sed usurpanda esse duo suadebat. *Primò.* candorem in confessione, si captu suo materia sublimior proponeretur, nè, sicut nonnulli secularium, Religiosam simplicitatem explorant, peregrinis, difficilibus ac perplexis quæstionibus improvidè involvatur. *Secundò.* modestam sui sensûs expositionem fieri posse, nè tamen ingenij ostentatio fumi vestigia relinquat,
aut

aut vaniloquentiâ lagunculam turgentem multo crepare faciat.

Venatoriam eam dixerat, in qua rei alicujus, factive aut dicti causæ & rationes investigabantur, ob quas videlicet, aliquid factum aut dictum videretur. quod inventum, præter jucundas ingenij parturitiones, ad plures fructus disponebat. ad solidas præsertim rerum cognitiones, ad meditandi facilitatem, ad flexibilitatem judicij, ad cavenda temeraria & præcipitata judicia, quorum pericula occasione variorum humanorum factorum ac dictorum incurruntur. Cur v. g. Spiritus S. in ignis specie; quid amor cum igne symbolicæ affinitatis habeat? Cur se Dominus Majestatis immensæ, in infantis parvuli corpusculum compegisset? Quid moverit illum Episcopum, qui hospitalitatis gratiam in Quadragesima, tempore aliàs vetito, carnibus apparatis condivit, quâ licentiâ id præstare potuerit? Et quia variæ rationes facti hujus afferri possunt, docent in similibus factis, variam interpretationem, & facti quod in speciem sequius apparere possit, patrocinium. juxta illud: excusa intentionem, puta errorem, &c. ut periculum aberrandi vitetur.

Discretiva, Symbola dicebatur, nè temere, illimis aliàs & purus fluxus stagno commi-

46 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

fceatur. pura cum fœculentis. discernere au-
 rum & argentum à cupro & plumbo; nè illa
 æstimet Religiosus, quæ secularis appreciat. ali-
 ud esse licere, aliud decere, aliud expedire. aliud
 multitudo, aliud sanitas votorum ac suffragio-
 rum. auream v. g. libertatem Secularium dici
 haud posse, cum ab illecebris, vel vitijs ipsis,
 inquietudine, sollicitudine, periculis captiven-
 tur. Religiosi verò dici debere, cum sub cura
 fit alterius, intra bonum ipsum, & in bono san-
 ctè atque aureè idcirco, cum plena spiritûs &
 cordis libertate vinculatus. Res æstimandas à
 fine ac ratione, non à sensibus, vilissimis rerum
 Judicibus. Sic Sapiens judicat meliùs intrare
 in domum luctûs quàm convivij. meliùs esse,
filiâ observantiâ & cautelâ DEUM timere ac de-
clinare ab omni malo, quàm transilire ac fidere. Li-
 berè inquam præcepta DEI violare, metas stri-
 ctioris vitæ, ad liberam vivendi laxitatem tran-
 silire, & in misericordia DEI vel in gratijs finali-
 bus confidere. meliorem esse bucellam panis.
 motum denique ac ventum observandum esse
 in principijs ac suggestionibus: veniantne à
 gubernatiõe Spiritûs Divini, vel ab humana car-
 nis prudentia & seculi remo. In Sanctis imò
 non omnia imitanda, sed suspicienda, neque
 opus quodlibet pro norma vitæ assumendum
 à San-

à Sancto, nisi quodd indubitata contineat Sanctitatem.

Curialem vocavit, quæ consilia rerum agendarum pertractabat. cujus officium sit, sententias de re proponenda dicere, opportunas deligere, quod opponendum videretur, liberè adferre, & futuris occasionibus consilij varietate, non tantùm bene deliberare, sed postulanti consilium necessitati ex re subvenire. Ad declarandum hoc perquam utile argumentum, finxit aliquando è septem Consiliarijs Senatam, quos Filij Prodigij Pater adhibere poterat, deberetne filius prodigus in paternam gratiam recipi, nec ne? Quod quia *Curialem* hanc *Relaxationem* gratiâ formâ; imò & consilij modum, quem adhibere solitus fuit aliquando, elucidat, inferendum hoc loco censui. *Primus*, inquit, agebat, videri non esse recipiendum in gratiam, cum ipse se ex ea eiecisset, & Pater etiam eundem dimisisset; non debet enim displicere utrique, quod antè placuisset. *Alter* censebat non expedire ut recipiatur, eò quodd semel malus, semper præsumatur malus. *Tertiò* videbatur dedecere patris gravitatem atque prudentiam, ut priora consilia mutet, mox iterum improbitate recepti in gratiam exigente, fortasse mutanda. Fieri enim posse, ut eum quem hodie in familiam recipit, paulò post, cum jactura

Etura rerum suarum dimittere, vel turpiter eji-
 cere cogatur. *Quartus* existimabat non esse
 licitam eam receptionem; cum enim grassa-
 tor ille Legitimam suam è familia jam extraxis-
 set, eamque in ganeis fædissimè decoxisset, si in
 Domum Paternam admittatur, jam alienis le-
 gitimis iniquissimè victitabit, & nequitia ejus
 inde referet præmium, unde expectare debebat
 supplicium. *Quintus* periculum in receptio-
 ne Prodigii metuebat, nè videlicet præsentem
 humilitatis larvam, quam nudus ac famens in-
 duit, excultus & bene pastus deponat, resusci-
 tatóque pessimo ingenio, peregrinationes pri-
 ores incipiat cogitare, & pro eis auxilia quærere
 per expilationem vel oppressionem etiam suo-
 rum. *Sextus* recipi posse judicabat ob spem fru-
 gis melioris, quam Paterna pietas calamitoso fi-
 lio impensa, promotura videtur, tum per col-
 lata in miserum indebita beneficia, tum per ad-
 hibendam deinceps circa eum majorem quàm
 aliàs curam ac vigilantiam. *Septimus* omnino
 recipi debere contendebat, quia paternum offi-
 cium præcipit cavere, nè filius in eo statu posi-
 tus ad desperatorum sequenda consilia adiga-
 tur, & providere, ut cum alius non sit qui id
 præstet, aberrationibus ejus congruo hoc tem-
 pore adhibeatur medicina. His expositis plu-
 ra consulentium pro non recipiendo in gratiam

Filio

Filio erant suffragia, sed faniora videbantur sequenda, quibus receptio suadebatur, ut recepto providentiâ Paternâ Filius, stabiliatur in bono, & familiæ caveatur omne malum, quod ab eo timeri posset. Ubi autem inopia Consiliarij adesset, in rebus præsertim turbatis, & remedium velox exposcentibus, tum à Timore DEI consilium petendum agebat, & à novissimis quatuor hos Consultores maximè sanum daturus consilium. In rebus verò benignis, ad Amorem DEI pro consilio eundum esse, ubi miseraciones Domini, dubitantibus rectè consulendo satisfaciunt.

In Polemica seu militari, de milite Christi agebat, sive de arte configendi cum hoste animæ, qui vel palàm oppugnat, vel per insidias malum intentat. artes pugnandi varias esse, quarum primaria inculcat violentiam, eò quòd, violenti rapiant ipsum cœlum, & ferè tantum quemvis proficere, quantum sibi vim intulerit. Violentiam autem illam ordine certo gradi debere, ut se nimirum DEO & Superioribus intellectu ac iudicio subiciat: imò & memoriam limitet, nê vanitates rememoretur, & illa omnia, quæ meliores species impediunt. Affectus deinde spei & timoris, gaudiorum & dolorum, aliòsque horum gregales intrà moderationis & necessitatis carceres contineat. Sensus verò om-

G

nes

nes convenienter frænis constringat, & tandem corpus uniuersum ità tractet, ut id seruire quidem animæ possit, rebellare non possit. Artes hostis varias esse; quasdam contrarijs virtutum ictibus retundi, quasdam celerrimâ declinatione ac fugâ eludi. ignavum in hac pugna nullum debere esse, sed Sanctorum more generosum, qui in lege DEI sui certârunt usque ad mortem. per minores ausus, tendendo ad maiores, & tandem maximos, denique ad heroicos, ad Divinos. frangere mollitiem animi, laboribus nutriri, patiendò sâginari, & breuem diem laborum cessationibus non facere breuiorem; Jdeis denique Sanctorum semper pasci, oblectari, redanimari.

Ritualem aiebat piam, sanctam & politam urbanitatem: ut, si prodeundum esset in publicum, ad hunc vel illum Principem, summum, mediocrem, Ecclesiasticum vel secularem, Dominũ vel Prælatum, suus cuique honor, agendi & loquendi modus tribuatur, juxta negotij quod agitur, postulationem. Quæ, umbraticâ prius, exercitatione prædiscenda esse aiebat, formando competens alloquium, meditato gestu ac reverentiâ corporis que situ pro diversitate dignitatum. Neque in his sistendum esse Sapienti, sed per reflexionem ex varijs gradibus dignitatis, ascendendum esse ad EXCELLENTIAM

TIAM SUMMAM Humanis supereminentem, velut ex umbra & vestigio potestatis delegatæ ad ipsam potestatem & Excellentiam. Et, si, aiebat, quisquis circa urbanitates humanas omittit vel punctum officij, innumeris clamoribus compellitur ad redeundum cum elegantijs in gratiam: quanto ampliùs in hoc genere debetur ab homine, supereminenti & omnem excellentiã excedenti DEITATI? Quâ oratione, quo situ, quo gestu alloquetur Regem Seculorum, immortalem, vermis horarius Homuncio? Dominum immensæ Majestatis, despiciatissimum mancipium? Sapientiam infinitam ipsissima ignorantia? Immensam Bonitatem perpetua malitia? Incomprehensibilem Potentiam, infirmitas? Ineffabilem Pulchritudinem, deformitas? Lucem tenebræ? Dulcedinem amaritudo amarissima? Quid verò in accessu ad Augustissimam Cœli Reginam, majus aut minùs præstabit? aut illos cœlestium Legionum Imperatores, & sub eis centuriatas Hierarchias, quomodo venerabitur? aut demũ apud gravissimum Patriarcharum Senatam, clarissimum Concilium Prophetarum; super excelsum Apostolorum Collegium qualis comparebit? aut denique purpuratos Martyres, candidatos Confessores, & lectissimum Beatæ Civitatis ac Urbis æternæ Gyneceum, unà

cum excultissimorum Ephæborum Sodalitijs, & gratiosissimorum Innocentum agminibus, quo cultu ritûve adorietur? His fanè ritibus addiscendis omne ingenium, meditationem & exercitationem impendi debere inculcabat.

Paradoxa vocaverat, quæ à vulgaribus & obvijs sermonibus colloquentium ingenia & facundiam avocent. explicando aliquas Sacræ Scripturæ sententias, quæ usitatis seculi opinionibus videntur repugnare; vel illustrando aliqua sacra ænigmata, vel parabolas enucleando, vel regulares quæstiones resolvendo. Ità proposuerat aliquando Quæstionem, relaxandi animi gratiâ, Juventuti nostræ, postulans: Quæ Regula maximè vigeret in Societate? (paulò antè surrexerant à consueta frugali feriæ sextæ abstinentia) Juvenis quispiam, ceterà probus, facetè in arena responsum cœpit, dixitque: Abstinentiam feriâ sextâ specialissimè observari. Subrisit Vir sanctus ad jucundum è renata esurientis haud dubiè Juvenis responsum. Plura subinde ad hunc stylum paradoxa feria & jucunda instillabat. Candidos ab ingenio nactus aliquando intra tempus relaxationis, interrogavit, quid officij præstarent A fello, si à Christo in Jerusalem portato, non jam in Domum suam, sed in Collegium repedaret? varijsque varia, comportantibus, tenerè valde recreabatur sententiâ illius,

C A P U T IX. 53

lius, qui consuetam peregrinis charitatem Afello exhibendam lotionem pedum, afferebat. Movit & illa: Quid sit odisse animam & invenisse? Quid amare ac perdere? Quid lucrari Mundum sine ullo lucro? Mortuum oportere ducere vitam. Plus curarum creare Pastori unum Hædum, quam centum oves. Ubi ficus bonæ, malæ, pessimæ? Quo tempore Camelus foramen acus pertransijt? Cœnobiorum omnia tecta nigris teculis constare; laquearia candidis Tabulis compacta esse. Utrum verè Cœnobitæ omnes fiant, quasi modo geniti infantes, & de utero Baptistæ? Utrum iidem illaqueati & compediti totâ vitâ cogantur incedere? Utrum sint usurarii centum supra fortem acceptantes? Utrum, qui Duce proprio spreto se suum Ducem facit, Dæmone tentatore non egeat, fiatque sibi ipse Dæmon? & his similia, &c.

C A P U T X.

Colloquiorum fontes reliqui.



Medica, in duplicem sensum accipiebat, Corporalem & Spiritualem. Qui morbi corporales; unde suam trahant originem; quomodo curari